

an-privativo hydrops introductus sit, docere possunt. Si enim à frigore positivo, præcessit usus rerum frigidarum, ut immodica ingurgitatio melonum, cucumerum &c: si à frigore privato, colligitur ex evacuatione solemni intermissa, à calore extraneo febrium ardentium, intemperie, inflammatione &c. Si verò à nimia evacuatione, patebit, dum medicus novit sanguinem effluxisse, sic post venæsectionem manifesta est causa. Si ab errore externo, potus frigida post æstum jecoris à balneo, exercitio, indicabit. Addit Galenus peculiare signum, appetitum solidorum illæsum.

XXXII. Jam ad PROGNOSTICA, quæ trium generum sunt. 1. Salutis vel Mortis. 2. Longitudinis & Brevitatis. 3. Modi eventus. SALUTIS & MORTIS Prognostica considerantur 1. ratione Generis, & sic hydrops curatu difficilis est, præcipuè inveteratus, de quo intelligendus Hippocrates 1. de morb. t. 9. incipiens tamen curationem admittit. 2. ratione specierum, quarum comparatione facti, judicamus Ascitem omnium periculosissimam speciem, respicientes ad causam efficientem, quæ à naturali statu maximè deviat, teste Galeno 4. aph. 11. succedit Tympanites, quæ tamen ab Aëtio tetrabib. 1. 3. c. 20. periculosior Ascite censetur, & quidem ratione curationis, cum nec flatus expurgari queant, nec perforatio institui. Anasarca omnium levissima est, & facile curatur, præcipuè in initio, ubi viscera nondum corrupta.

XXXIII. Aliàs signa lethalia hæc sunt. 1. Fœtor anhelitus, sputi, sudoris, aliarumque egestionum & totius corporis mortale. 2. Urina bicolor v.g. inferius rufa & nigra, superius livens, lethalis. Rubra etiam periculosa. 3. Tussis superveniens hydropicis malum 6. aph. 35. intellige, si fiat ipsius morbi ratione. 4. Si hydropici perforati incidant in vigilias & dolores, pessimum; talia enim accidunt ob inflammationem intestinorum. 5. Hydropes, quæ exacerbantur circa plenilunium, maximè periculosæ. 6. Ulcera hydropicorum in corpore difficulter sanantur, 6. aph. 8. ob copiam & acredinem humorum illuc fluentium. Ex contrariis signa salutis deprehenduntur.